

12

## OBSERVAT. SIDEREAE

\* fixa

guratione. Aberat orientior a Ioue m. 7. ab hoc distabat sequens m. o. s. 30. Occidentalis vero elongabatur a Ioue m. 2. erant extremi lucidiores ac maiores reliquo, qui admodum exiguis apparebat. Orientalior a recta linea per reliquos & Iouē ducta paululum in Boream videbatur elatus. Fixa iam adnotata ab occidentali Planeta m. 8. distabat, secundum perpendicularem ab ipso Planeta ductum super lineam rectam per Planetas omnes extensam; veluti apposita figura demonstrat.

Hasce Iouis, & adiacentium Planetarum ad Fixam collationes apponere placuit, vt ex illis eorundem Planetarum progressus, tum secundum longitudinem, tum etiam secundum latitudinem, cum motibus, qui ex tabulis hauriuntur, ad vnguem congruere, quilibet intelligere possit.

Haec sunt observationes quatuor Mediceorum Planetarum recens ac primo a me repertorum, ex quibus quamuis illorum periodos numeris colligere nondum detur, licet saltem quaedam animaduersione digna pronuntiare. Ac primo cū Iouem consimilibus interstitiis modo consequantur, modo praesent, ab eoque tum versus ortum, tum in occasum angustissimis tantum diuariationibus elongentur, eundemque retrogradum pariter, atque directum concomitentur, quin circa illum suas conficiant conuersiones, interea dum circa mundi centrum omnes vna duodecimales periodos absoluunt, nemini dubium esse potest. Conuertantur insuper in circulis inaequalibus